

17

MEMORIAM

IACOBI FRIDER. ISENFLAMM

VIRI DVM VIVERET ILLVSTRIS ATQVE EXPERIENTISSIMI
PHILOSOPHIAE AC MEDICINAE DOCTORIS CONSILIARIII AVLICI ARTIS
SALVTARIS P. P. ORDINARII PRIMARII ACADEMIAE NATVRAE
CVRIOSORVM ADIVNCTI ETC

PRORECTOR

IOAN. BVRCARDVS GEIGER

PHILOSOPHIAE AC IVRIS DOCTOR CONSILIARIUS AVLICVS
IVRISSCIENTIAE P. P. O. PRIMARIVS

CVM

PROCANCELLARIO ET RELIQVO SENATV

CIVIBVS ACADEMICIS

COMMENDAT

ERLANGAE

TYPIS IVNGEANIS CLOCCCLXXXIII

MEMORANDUM

MARSHAL, ROBERT WOODWARD

RECORDED IN THE OFFICE OF THE SECRETARY OF STATE
ON APRIL 19, 1945, BY THE CIVILIAN DEFENSE INFORMATION
BUREAU, WASHINGTON, D. C., FOR THE USE OF THE GOVERNMENT
OF THE UNITED STATES.

RECORDED

MARSHAL, ROBERT WOODWARD

RECORDED IN THE OFFICE OF THE SECRETARY OF STATE
ON APRIL 19, 1945, BY THE CIVILIAN DEFENSE INFORMATION
BUREAU, WASHINGTON, D. C., FOR THE USE OF THE GOVERNMENT

RECORDED

MARSHAL, ROBERT WOODWARD

RECORDED IN THE OFFICE OF THE SECRETARY OF STATE
ON APRIL 19, 1945, BY THE CIVILIAN DEFENSE INFORMATION

BUREAU, WASHINGTON, D. C., FOR THE USE OF THE GOVERNMENT

RECORDED

RECORDED IN THE OFFICE OF THE SECRETARY OF STATE
ON APRIL 19, 1945, BY THE CIVILIAN DEFENSE INFORMATION

Si iactura viri boni et honesti, egregii patris familias, amici candidi, sinceri christiani et de multis hominibus bene meriti omnino magna est: quanta illa sit habenda, si praeter ea ille, quem mors eripuit e viuis, fuit innumeris aliis, iisque praeclaris ingenii animique virtutibus instructus, vrbis, in qua vixit, atque litterarum vniuersitatis, in qua cum fructu docuit, ornamentum, Musarum, quas fouit, decus, doctrinarum, quas voce et scriptis illustravit, praesidium, pauperum et adfictorum tutor, multorum hominum et vero familiarum conseruator, ac de toto humano genere optime meritus, facile est cognitu. Atqui tanta est iactura, quam nuper fecimus morte

IACOBI FRIDERICI ISENFLAMMII

Viri, dum viueret, illustris atque experientissimi, Consiliarii aulici, philosophiae ac medicinae doctoris celeberrimi, Professoris in ordine Medicorum primarii. Omnes autem, qui eum bene norunt, consentient nobiscum in illo laudando. Fuit enim talis, quem Graeci vocare sueuerunt Καλὸν καγδόν. In pulcro corpore habitauit pulcrior animus. Iam vero eius vultus liberalis prodidit animum ingenuum, neque egregia oris corporis que proceri forma deturpata est infamataque mente fraudibus prauisque facinoribus inquinata. Nam supremum numen, ad quod omnia, quae habebat, bona grato animo referebat, coluit religiose. Hinc haud facile diem, quo in templis adoramus deum, praetermisit, quin viseret locum sacrum, atque post prandium cum suis cultu priuato celebraret summum omnium rerum opificem omniumque bonorum datorem, nec non pauores, qui in vestibulo opem exspectarent, cibo satiaret. Ex illo uberrimo pietatis fonte manarunt omnes, quae in animo beati residuebant, virtutes, illa mansuetudo et facilitas, illa mode-

modestia et verecundia, illa pauperum et aegrotorum cura, illa fides in muneris administratione. Mira in illo fuit comitas, lenitas et urbanitas, quas virtutes et a natura acceperat, et maturo longoque cum hominibus, summo loco natis aut in altissimo munerum honorumque gradu collocatis, ysu magis magisque excoluerat, tantaque in consuetudine et colloquiis iucunditas, ut omnis sermonis tristitia tolleretur. Quod in vita sua multa vidit et audiuit: multa potuit narrare, atque propter oris suavitatem et incredibilem facundiam vel plures diu detinere atque delectare. Omnibus obuius atque exppositus laesit neminem; multo minus iniuriam, ab ingratis aut superbis hominibus, ac Suffenis, qui sibi vnicē placuerunt, sibi illatam vltus est acerbitate verborum, nomine hominis christiani dignius esse ratus, ignoscere peccantibus, lenibusque verbis et humanitate cedere aliorum vel inuidorum vel arrogantium contumeliis ac petulantiae, quam in alta mente repositam iracundiam atque vindictae libidinem alere, aut oblata occasione par pari referre. Hinc aliorum dissensum aequo animo tulit, nec tumidis acerbisque verbis suam sententiam declarauit. Atque vix, nisi aperta nec, salua dignitate munerisque auctoritate, toleranda fuerit iniuria, habuit, quantum meminimus, vñquam, quod cum vlo collega aut vrbis nostrae incola in gratiam rediret. Quod iam sapiens Pythagoras aut aliquis ex eius disciplina suasit in aureis carminibus:

Τῶν δ' ἄλλων, αρεστὴ, ποιεῦ Φίλον, ὅσις ἔρισος.

Πρεφέσι δ' εἶνε λόγοις ἐργοῖσι τ' ἐπωφιλίμοισι.

Μήδ' ἔχθαιρε φίλον σὸν ἀμαρτάδος εἰνενα μιηρῆς,

Οφρε δύνη δύναμις γὰρ ἀνάγκης ἔγγυθι ναίσι.

Ταῦτα μὲν ζτως ἴσθι. — —

— — ψεῦθος δὴν πέρ τι λέγηται

Πρέψως ἴσχ', — — —

id Isenflamnius noster, christianaे doctrinae praeceptis bene imbutus, eo sollertia et curatius obseruauit. Tantum valet vis chri-

christianae religionis et sobriae philosophiae, si quis illarum aureis dictis commodas aures facilemque animum praebere velit! Atque hunc pietatis et moderationis sensum acuit rerum humanarum fragilitas atque inanitas, quam a iuuentute paene cum in castris bellicis tum maxime deinceps ad innumeros aegrotos afflictos aut multis cum miseriis et corporis animiue doloribus conflictantes vocatus quotidie et magis magisque cognouerat. Quum igitur erga collegas, amicos omnesque homines tam leni mollique animo esset affectus: quo amore coniugem fidissimam atque optimam, quae animum mariti non nisi morte praematura contristauit, triaque amoris coniugiique iucundissimi pignora sit amplexus, perspectu haud erit difficile. Praecipue in formandis duorum filiorum ingenii animisque miram praestitit sedulitatem atque curam indefessam. Ut primum illi cooperunt discere litterarum initia, binas horas singulis diebus consecrabat noster illis erudiendis; horam tribuendo matutinam linguae latinae docendae, pomeridianam vero, prouti vires ingenii puerilis atque aetatis poscere visae sunt, historiae, logicae, denique mathezeos initiis. Atqui in his tradendis doctrinam scite adcommodauit captui puerili. Ex multis exemplis, aliis quoque peritis magistris diu cognitis, vnum alterumque deligam. Ut pueri ope memoriae ac sensus, in illa aetate in primis excitandi, vim vocabulorum et formarum tam nominum quam verborum diuersitatem facilius lubentiusque caperent ac tenerent, et tamen iudicium adhiberent in comprehensandis generibus; pater ipse vtilem libellum, in quo subsidio colorum diuersorum vtrumque consilium exsequeretur, confecit, quem postea rogante librario e praelo exire iussit atque inscripsit *Farben-Donat*. Quum ipse cum pueris lectionem auctorum a Cornelio Nepote inciperet: omnia grammatices praecepta sedulo inculcauit. Noua quoque methodo usus est in docenda historia. Tam antiquae enim quam mediae ac recentioris illius potiora capita secundum certas periodos disposita multis longioribus chartae particulis dissectis et arte compositis atque conglutinatis inscripsit, et periodos praecipuas notauit alio colore; tum illam longam particularum seriem

circa cylindrum voluit, atque cistulae, quae commode manu
 potuit portari, et quae exiguum habuit scissuram, indidit. Quo
 facto secundum temporis ordinem eae chartarum particulae,
 quae explicarentur, subinde extrahebantur. Ita optimus pater
 noua disciplinae subsidia, ad memoriam filiorum acuendam
 eorumque ingenium formandum, excogitans, studiosus atque
 indefessus fuit in illis erudiendis. Artis mathematicae, cuius
 ipse fuit peritissimus, et quam vt singulis litterarum amantibus,
 ita in primis futuro medico maxime necessariam iure existima-
 uit, initia docuit illos, quum maturioris essent aetatis. Ita et
 sua et aliorum priuata opera aetatem illorum puerilem infor-
 mavit ad humanitatem aliasque artes liberales, donec idonei
 viderentur, qui publicae disciplinae in superioribus Gymnasii
 nostri decuriis traderentur. Neque tamen postea, quum ma-
 xime stadium illi ingrederentur academicum, intermisit curam
 ac diligentiam in illis scientia suoque exemplo augendis. Eam-
 dem fidem praestitit in scholis habendis academicis. Atque
 quamdiu apud nos fuit; omnes fere artis medicae partes, ex-
 ceptis obstetricia, chirurgica atque chemica, sollerter atque in-
 telligenter docuit. Praecipue domicilium ingenii posuisse vide-
 tur in anatomia ac physiologia. Quam subtilis autem aptusque
 fuerit artifex in secundis cadaueribus et demonstandis corporis
 humani partibus, testantur et libri, quos edidit, et auditores,
 quos per omnem Germaniam aliasque Europae terras habuit
 multos dispersos. Omnes vero laudare solent eius *ἀνεισθέαν*
 longo multoque vsu partam eruditionem, acumen, sagacita-
 tem, verecundiam atque oris et orationis perpetuae suauita-
 tem. Namque quum doceret aut publice disputaret, aut cum
 familiaribus colloqueretur, lingua, siue germanica, siue latina,
 siue gallica, siue italica vsus, (in omnibus autem istis linguis
 pari facilitate et promptitudine sensa animi poterat exprime-
 re,) id flumen fuit orationis, vt numquam balbutiret, nec
 sui quasi oblitus ullum distortum aut incommodum vocabu-
 lum ex ore suo emitteret. Tam mira et scita suauitate ser-
 mocinabatur, vt omnes ab eius ore pendere viderentur. At-
 qui quanta cum voluptate eum audiuimus cum orationes fol-
 lemnes

lempes recitantem, tum maxime in publicis concertationibus litterariis partes siue praefidis siue dissidentis tuentem! Adeo diserte expediteque et tamen adeo docte subtiliterque disserebat, vt, etiamsi ad omnes dubitationes tollendas haud praepratus accedere posset, tamen quasi diu meditatus singula verba scripto consignasse videretur. Promta enim parataque in eo fuit eruditio, splendidum ingenium, multum mentis acumen, memoria tenax, et magna animi praesentia, medico cumprimis necessaria. Illas animi et ingenii virtutes commendabat singularis sermonis lepos atque urbanitas: cuius leges etiam in feroce disputandi haud migravit. Quapropter quum aliquando dissentiens quidam doctus illepidi atque rustico argumento usus, in disputatione quadam eum male tractaret, et alium mentis haud adeo bene compositae ad iram verborumque asperitatem facile irritare potuisset, omnesque in magna essent exspectatione: *Isenflammius*, quasi non laesus, nec commotus, tam placide, et tam festiue atque ingeniose respondit, vt omnium auditorum plausus atque admiratio conserueretur. In curandis morbis erat haud preecepis; sed admodum cautus, interdum timidior, et admodum felix: praeter ea adfabilis, humanus comisque erga aegrotos: quae medicis communitas ad aegrotum recreandum ac reficiendum interdum plus valet, quam ipsa medicina. Hinc opera eius a multis, etiam exteris ac Principibus, est efflagitata. Sic a Marggrauio *Friderico Christiano* b. m. ultimum grauiter decumbente, cum b. Delio Byruthum fuit vocatus, ad opem ferendam.

Quamuis vero copia aegrotorum, qui eius consiliis auxilioque vterentur, numquam non esset ampla: tamen distrahi se non passus est a litterarum studio et officio suo academico. Nam plerumque, nisi summa necessitas et vitae periculum aut ardor lecto adfixorum praesentiam eius atque opem poscebant, praeter scholas academicas, horas antemeridianas scribendo legendoque consecrabat; pomeridianis autem horis demum, suetis lectionibus absolutis, aegrotantes visere coepit. At eas potissimum doctrinarum partes tractabat diligentius, quae vni-

ce spectarent ad locupletandam , quam professus est , artem ,
praecipue anatomicam et , quam vocant , practicam . Litteratu-
rae igitur ampliori cognoscendae minus vacabat , neque lin-
guam graecam , cuius quidem initia in vita scholaistica didicit ,
ita vt ad extremum vsque vitae singulis diebus festis , ante-
quam templum adiret , pericopen , quam dicunt , tam euangeli-
cam quam epistolicam in graeco textu domi perlegeret , me-
dico admodum necessariam duxit . De medico , qui omnem
aetatem in morborum curatione consumturus est , id forsam
verum aut verisimile esse potest . At enim interiorem linguae
graecae scientiam medico non solum esse ornamento ; sed ei
quoque , qui eruditus et consummatus audire cupit , atque do-
ctori academico vtilem et vero necessariam esse , non solum
vniuersae medicinae conditio et natura satis declarat ; sed etiam
historia litterarum et exempla summorum medicorum , qui i-
dem linguae graecae fuerunt peritissimi , et quorum studio ad-
curatiorem illius cognitionem debemus , abunde testantur .
Neque tamen omnino spreuit nec filii Aesculapii dissuasit illius
scientiam .

Sed heu ! vniuersitas nostra litterarum amisit doctorem
praestantissimum , qui ore et scriptis ad famam illius amplifican-
dam permultum contulit : liberi illius priuati sunt optimo pa-
tre : nos omnes lugemus mortem fidi , prudentis iucundique
collegae , atque candidi integerrimique amici .

Enimuero iuuat , vt imaginem viri eximii paullo diu-
tius contempleremus , et videamus , quis ille fuerit , et qua-
ratione quibusque praesidiis tantam litterarum copiam tantam-
que nominis atque ingenii famam nactus sit , vitam eius paucis
persequi . Nam vel memoria et imago absentis desideratique
amici lenit moerorem , ac quodammodo delectat . Tum luben-
ter resciscere atque cognoscere cupimus , quae fata fuerint il-
lius , quem de litteris genereque humano insigniter meritum
fuisse scimus , quam ille viam ingressus sit et quas difficultates
ad arcem eruditionis famaeque occupandam superare eum
opor-

oportuerit: id, quod etiam iuniores ad imitationem tanti viri,
ad parem alacritatem, adsiduitatem et diligentiam acuere potest.
Quod autem vir beatus vitam suam vsque ad initium anni LXX
nostrí saeculi eleganter enarratam in scriniis reliquit; eo ter-
tiora possumus memoriae tradere.

Natus vero est Viennae Austriae d. XXI. Septemb.
a. c^occxxiv, parentibus honestis; patre quidem *Io. Bernhardo Isenflamm*, dum viueret, Augusti imperatoris a negotiis ad consilium bellicum spectantibus et plurimum S. R. I. Principum consiliario aulico, matre autem *Anna Maria a Roemers*. Nihil, quod ad formandum poliendumque pueruli ingenium conferret, intermisere parentes. Ut primum quidem per aetatis rationem fieri potuit, noster fidei egregiorum virorum in aedibus paternis commissus est: matre tamen optima anno 1733. e viuis erepta, anno sequente, Posonium litterarum in Gymnasio, quod ibi floret, discendarum caussa, iussu patris, abiit. Grata autem memoria usurpabat felicem iucundamque in illa litterarum sede commorationem. Nam vrbs illa et Gymnasium illud tum temporis abundabat eruditis hominibus et magna discipulorum, qui vel ex remotis terris co confuxerant, multitudine. Atque quum tam propter adfluentiam peregrinorum quam morem antiquum in scholis et in consuetudine usus linguae latinae vnicce obtineret, et discipuli in conficiendis varii generis speciminiibus perpetuo exercerentur, ex hac disciplina *Isenflamm*, qui docile ingenium et alacritatem acceperat a natura, eum cepit fructum, vt facultatem in illa lingua non solum bene scribendi, sed etiam promte loquendi mature sibi compararet. Usus vero est praceptoribus, quorum dexteritatem atque peritiam artemque semper laudauit, *Baerio*, *Io. Tonka*, *Szasky*, *Mich. Pesko* et *Io. Knban*, qui eum iis litteris, quibus aetas iuuenilis imbuenda est, diligenter erudirent. Summa quoque fuit in adolescentulum viri, dum viueret, celebris, *Matthiae Belii* benevolentia, quippe qui tum naturali quodam in iuuenies discendi cupidus amore, tum paterna familiaritate ductus eum saepissime ad coenam vocaret, et secum esse vellet, nec eum umquam a se di-

mitteret, quin vel flosculo latini sermonis vel re quadam memorabili ex historia modo romana, modo hungarica eum ditaret. Atque ex illa forsan consuetudine scholaque retinuit amorem usumque floridi dicendi generis. Sic placide cum summo eius commode aetas puerilis elapsa est. Verum tristissima superuenientis belli Turcici et pestilentiae magnam Hungariae partem vastantis infelicitate ad patrios redire lares, ibique biennium commorari coactus est: quod quidem tempus non otiose, neque tamen aequem comemode transegit. Obitus diu imperatoris Caroli VI. orta inde calamitas publica, patriam, cum primis urbem vnde premens, ciuium inde fuga quo frequentior, eo tristior; patris denique apoplectici, Posonium quoque fugientis, ibidem breui subsequuta mors, non exiguum litterarum studiis, ad quae Posonii continuanda redierat, remoram iniecerunt, calisque accendentibus ac suadentibus rationibus Hungariae et Austriae linquendae cepit consilium. Lerchii, igitur viri quondam venerabilis et Ephori Neostadiensis ad Aissum, qui, quum Viennae sacra in facello Legati Potent. Regis Sueciae celebrata per aliquot annos administraret, parentibus Isenflammii familiariter usus est, amicitia adlectus Neostadium a. MDCCXL. concessit, in Lyceo, quod ibidem floret; et illo tempore in summa fuit auctoritate, studiorum, ut vocant, humaniorum cursum absoluturus. Paterno ibidem exceptus amore, fida optimorum virorum Layritii, Doerfleri, Griesammeri, Oertelii et Creuzbergeri institutione non sine magno emolumento usus est, eoque maiore, quum in praestantissimo Lyceo etiam partes quasdam interiorum artium, scholis academicis alioquin reseruatarum, iam delibare ei contingeret. Sacris inaugurationis almae Fridericianae Erlangensis a. MDCCXXXIII. celebratis interfuit, annoque sequenti Prorectore Roffmanno albo academico nomen dedit. Singulari quadam iam a teneris in rem medicam animi propensione ductus, ab eo tempore illi scientiae totum se dedit, et praeter philosophicas Hoffmanni atque Kripneri scholas, lectiones omnium, qui tum temporis in hac universitate artem medicam professi sunt, ea, qua potuit, industria auctoravit. Plurima in primis debuit institutionibus Schmidelii, viri quon-

quondam summi; et de re nostra litteraria immortaliter meriti, cuius, non corporis solum humani fabricam et rem herbariam explicantis, sed et omnes ad ipsam medicinae theoriam et praxin pertinentes disciplinas tradentis per sexennium fere tam diligens auditor fuit, ut plerisque eius praelectionibus vicibus repetitis interesset. Omnibus igitur ad artem medicam exercendam necessariis praesidiis instructus et ad summos in arte salutari honores adspirans, examina decenter subiit, permittenteque medicorum ordine, dissertationem inauguralem *de congestionum mechanismo*, die VIII. Maii a. c^{lo} l^o ccxxxxix. sine praeside defendit. Quo facto, brabeuta b. Weismanno, doctor medicinae est renunciatus. Quum non ita multo post, Delius, ο νύν εν αγίοις, munus Professoris medicinae ordinarii capesseret, proque loco in ordine suo suam de theoria toni ventilaret disputationem: in splendido hoc actu *Isenflammio* nostro dissentientis obtigit sparta. Verum linquenda iam erat alma Fride- riana. Factum enim est, vt Nobilis quidam studiosus ex Suevia oriundus, cuius infirma admodum erat valetudo, ad patrios iam reuersurus penates, eum sibi huius itineris socium exoptaret. Lubens hanc, pro ea, qua flagrabat, cupiditate peregrinas visitandi ditiones, arripuit opportunitatem, mense que Nouembri Memmingam petiit. Aliquot ibidem menses commoratus, non vicinas solum vrbes Sueviae frequentauit; sed etiam in eruditorum illius vrbis, cum primis in Erhardtii, Koeldereri et Schelhorniorum, (quorum nomina non ignorat orbis eruditus,) amicitiam magno cum fructu insinuauit. Sequenti anno Viennam redeunti quum, quominus in ordinem Medicorum, secundum consuetudinem urbis et leges, recipetur, sacrae disciplinae, quam professus est, ratio obstaret: nihilo secius medicinam in domibus ac familiis Legatorum Principum, vt vocant, protestantium fecit, inter quos cum primis Comitem *Bachof*, potent. Regis Dan. legatum, pios manus *Burmannia*, potent stat. Belgii foederati, et Com. *Ellrod*, Margrauii Culmbac. legatorum veneratus est: nec aliis illustribus peregrinis opera defuit. Opportunitate praeter ea usus, quae sece illi in cel. Viennensi vniuersitate, in qua res medi-

cae maxime florent, obtulerat, paelectionibus tum iis, quas primis adhuc annis L. B. van Swieten, iubente imperatrice, instituerat, tum reliquorum Professorum, quantum fieri poterat, adsiduo interfuit. Praesertim cel. de Haen, cuius benevolentiam et candidam semper coluit amicitiam, et Gaffero, anatomico, Langiero, botanico, viris praestantissimis, plurimum se debere, grato animo professus est. Insuper museum mathematico - physicum idque splendidum ac locupletissimum Patrum S. I. et lectiones P. Josephi Franz ibi habitas cum summa et voluptate et utilitate frequentauit. Nosocomia quoque, praesertim academicum et hispanicum eo consilio, quantum potuit, sedulo adiit, vt, si quid rari sese offerret, quod ad amplificandam ficeret scientiam, id exacte obseruaret. Ad noua litteraria, tum temporis Viennae prodeuntia, sic suam contulit operam, vt iis suum de libris nouis ad scientiam medicam, physicam et mathematicam pertinentibus iudicium inferreret. Quum haud ita multo post, quam rediisset Viennam, illustrissimo quondam L. B. a Knorr, imperatoris romani a consiliis imperii, viro certe eruditissimo, innotesceret: hic tanta nostrum amplexus est benevolentia, vt, quo artiore usus ac familiaritatis vinculo coniungeretur, eum secum et habitare et victu semper frui vellet, pluribus adhuc ornaret benevolentiae testimoniiis, eiusque opera in diuersissimis negotiorum generibus vteretur. Multum se sic non ex ditissimo solum in omni doctrinarum genere librorum adparatu, quo vir illustrissimus instructus erat, sed et quotidiano Nobilium exterorum in splendida hac domo confluxu proficere sensit. Erant autem viro illustrissimo filii duo, quorum vterque postea inter copias caesareae centuriae pedestri praefuit. Qui quum a teneris se ad militiam accingerent, Isenflammio duce, tum disciplinas mathematicas, tum alias, e quibus aliquid commodi capere possent, delibarunt. Summus inde natus est ingenuorum iuuenium in eum amor, confidentia summa. Quare quin maior natu iam in bello septennali castra sequeretur; siue saucius, siue aduersa pressus valetudine decumberet, Isenflammium aduocari voluit. Factum inde est, vt, flagrante bello, quinque diuersis vici-

vicibus vel Pragam vel ad legionem aduolare iuberetur, neque
 inuitus, quum sic et morborum et medicinae castrensis qua-
 dam se ditari sentiret notitia. Decedente e viuis a. MDCCCLXII.
 illustrissimo Knorrio, noster, quod diu ante meditatus erat, iter
 ad terras peregrinas inuisendas suscipere constituit, post-
 quam antea singulari motus caussa *Tentamen de spiritu in morbis*
latino, et *commentationem de caussis tussis epidemicae* a. 1763.
 patro sermone exaratam Viennae in lucem edidisset. Vere
 igitur ineunte Vienna discedens, inque Belgium foederatum
 profectus, vrbes eius praecipuas, et, quas continerent, res
 memorabiles, in academiis praesertim, quae Traiecti ad Rhe-
 num et Lugduni florent, visitauit, tum ex celeberrimorum
 virorum confortio tum ex splendida vniuersae rei medicae
 suppellectile fructum percepturus: nec excidit votis. Inde
 Louanium transiens, eadem ratione seruata, Lutetiam Pari-
 siorum accessit. Obuia, qua celeberrimi ibidem viri eum ex-
 ceperunt, comitas id effecit, vt, quem sibi proposuerat itine-
 ris finem, consequeretur eo facilius. Namque per aliquot
 ibidem menses commoranti aditus ad bibliothecas, nosocomia,
 gazophylacea physica, hortos ipsaque patuit eruditorum mu-
 sea. Multa, quae ibi vidit et didicit, scitu vtilia, multa quo-
 que, quae in nosocomiis in curandis morbis, innumera fere
 aegrotantium copia, vel bene vel male aut confilio praecipi-
 terti facta, animaduertit, ipsum aliquoties in circulo familia-
 rum commemorantem audiuimus. In praecipuis autem par-
 tibus felicitatis, quam ex hoc itinere diurnaque in vrbe illa,
 doctissimis viris omnibusque ad amplificandam artis salutaris
 scientiam subsidiis abundante, commoratione nactus est, po-
 suit natam, quae sibi deesse sensisset, aliquo modo reparandi
 opportunitatem, et singularem Guettardi benevolentiam atque
 humanitatem. Illo enim duce non solum conuentui cel. doctri-
 narum academiae, sed aliis quoque actibus, ad quos peregri-
 nis haud facilis patuit aditus, interfuit: nec sine magno ipsius
 commodo liber ad eruditissimum quemque datus est accessus.
 Relicta hac, quam ciues illius orbi parem dicunt, vrbe, Argen-
 toratum profectus ibi aliquot hebdomadum, quas ibi trans-

egit, tempus ita collocauit, vt id et audiendis *Spielmanni*, *Friedii* aliorumque celeberrimorum virorum pralectionibus et inuisendis hortis, nosocomiis aliisque ad scientiam medicam spectantibus institutis vtiliter impenderet. Reuertenti per du-
catum Wurtembergicum secundo Danubio Viennam, et excur-
sione inde in Hungariam facta, paullo post cum illustrissimo
quodam infirmo iter in Franconiam, indeque reduci cum alio
quodam Nobili, ancipiti laborante morbo, iter in Lusatiam inde-
que Dresdam suscipiendum erat. Absolutis his itineribus, com-
mendante et opitulante cum primis *Ellrodi*, perferuntur ad il-
lum litterae senatus academici Erlangensis, quibus ad capessen-
dum munus Professoris medicinae ordinarii in hac litterarum
vniuersitate humaniter inuitatur, breuique post Diui *Marggrauii*
Friderici Christiani decretum, quo hoc illi munus confertur,
transmissum est. Diuino sic nutui parens, suum, quoad fieri
potuit, Vienna discessum accelerauit, Erlangamque initio men-
sis Martii a. MDCCLXIV felici sidere venit. Habita non ita
multo post oratione sollemni *de mutuo scientiae medicae reliqua-
rumque doctrinarum vinculo*, quam programmate, *de tela cellulosa*,
decenter indixit, et dissertatione *de methodo plantarum, medicinae
clinicae adminiculo*, pro loco in ordine suo obtinendo ventilata
ad ipsum Professoris munus fideliter obeundum se accinxit.
Quam egregie ab eo tempore doctrina scriptisque ornarit spar-
tam suam, quanta fide, dexteritate et sollertia suoque exem-
pto erudierit auditores, quam efficax fuerit ad fructum et
salutem tum discentium tum infinitorum aegrotorum et ad in-
crementum litterarum non minus quam decus nostrae univer-
sitatis eius disciplina, scientia atque indefessum studium, supra
abundequae demonstrasse nobis videmur. Prorectoris munere
septies functus est; vicies autem prouinciam decurionis in or-
dine suo administrauit, et XXXXVI. creauit doctores medici-
nae. Bis quidem in periculo fuimus, ne eum amitteremus:
nam primum Gottingam sub lautis conditionibus ad primum in
ordine medicorum locum obtinendum, deinde Ticinum in Ita-
lia ad ornandam academiam inuitatus est. Verum amore Er-
langae, alterius ipsius patriae, et accessione salarii permotus

noluit discedere: in vtraque autem litterarum vniuersitatae cel. Frankius locum nostro oblatum postea accepit. In Academia Naturae curiosorum ad locum Adiuncti peruenit. Eadem rara contigit felicitas, vt vno eodemque tempore filios duo, quos ab eo ipso doctrina et exemplo suo eruditos fuisse supra iam commemorauimus, post doctas dissertationes bene ventilatas mens. Iun. MDCCLXXXI. summis in arte salutari honoribus videret ornatos. Nam a. 1769 die 28. Aug. in matrimonium duxerat *Jacobinam Christianam*, filiam b. nostri D. *Kieslingii*, natu minorem, quae peperit ei duo filios, *Ioan. Christianum Fridericum*, nat. d. XVI. Iun. 1770. et *Henric. Fridericum*, nat. d. XX. Iun. 1771. vestigia patris prementes, atque vnicam filiam *Margaretham Jacobinam*, in lucem editam d. XIII. Jul. 1776. lectissimam virginem: sed praestantissima coniux iam a. 1786. praematuris fatis intercepta est. Praemia quaedam laboris studiique in educandis formandisque filiis collocati tulit noster, quod illi optimum patrem, cui liberis suis nihil prius fuit nihil antiquius, in ultimo morbo consiliis, vigiliis omnique opera et cura, pro eo par fuit, diligenter iuuerunt et quodam modo ei gratias retulerunt. Atque maior natu morbi, quo parens absuntus est, historiam, quam hic inferemus, composuit.

, *Initium fractarum corporis virium iam ab anno MDLXXXV repeti potest*, vbi de morte fratris, febri putrida mense Februario Vicnnae abrepti, certior factus, ea tristitia affectus est, vt iacturam vni et dilectissimi fratris, quem ab infantia tenerrimo ardentissimeque amore fraterno prosequebatur, et dolorem inde natum vix ferre crederetur. *Animum eius summus moeror et persuasio mortis propinquae certaeque ita occuparunt*, vt id amicos baud celaret. At religio christiana et adhortationes solatiaque amicorum erexerunt et firmarunt mentem: nec intermisit labores suetos, aegrorum curam, ac diligentiam in scholis habendis, et officiis, quae ordo medicorum postulabat, exsequendis. *Animo tamen suo tenero iam afflito, adhuc saucio, nouum inflictum est vulnus*, mense Aug. eiusdem anni, quum consobrinus succenturiatus de MATTOLAY ex America redux, ictero correptus, fere in brachiis ipsius animam efflaret. *Iusto buic dolori,*

dolori, adhuc ultima addita est calamitas, quum a. MDCCCLXXXVI. coniux amantissima, ipsius pars dimidia, particeps omnium, quos sensit ille, dolorum, phtisi pulmonali, et febre lenta, mense Nouembr. placida morte animum soteri suo redderet. Tria haec infortunia, quia finis alterius initium futuri erat, fere animi vires prostrauere: nam cum tranquillitate eam fortunae acerbitatem perferre, hominis mortalitis pectus vix nequit. Sensit quoque, qualem partem animi tumultus nunc reseruatam habeat, nec ab illo tempore amplius valde mouebatur gaudio et voluptate quadam alia, ac, si peractis laboribus, his enim adhuc semper, quantum corporis vires permiserunt, satisfecit, horam secum de morte et aeterna salute cogitare potuit. Ratio autem, persuasiones amicorum et cogitatio, quantum adhuc praestare possit, id effecerunt, ut rursus denuo omnes vires et animi corporis colligeret, et duplicato ardore, eos in usum et utilitatem publicam adhiberet. Transitus ille ex quiete, vel auctus laborum et virium conatus, quantum boni etiam aliis praesliterit, tamen ipsi damnum aduluit, quum corpus antea debilitatum, rursus nimis agitatum, tandem necessario infirmitati succumbere oporteret. Ea quoque caussa fuit corporis morbi, qui hucusque magis animi et moralis videbatur. Quum enim ab anno MDCCCLXXXVII. vitam agilem et utilem rursus ageret, et acriore, quam corporis viribus accommodatum erat, studio in salute et felicitate hominum curanda et augenda versaretur: tandem vires cessarunt, vt inde iam ab anni MDCCCLXXXII. initio cogeretur, labili suo corpori indulgere et sedentariam vitam gerere, quo magis quoque mortis cupido, et grata exspectatio in eo excitata animum fere totum occuparet. Corporis dolores superuenientes, cardalgia et tormina, quae diu patienter tulit, denique d. 8. Septembr. ea cum vehementia illum inuaserunt, vt lecto adfixus miserrimam per 8. dies vitam degeret. Remediis autem interne et externe applicatis, omnibus laetantibus et solatium percipientibus, morbus hic cessavit, aut potius sedatus quam sanatus fuit. Quuin enim die 17. Septembr. labores suos rursus inciperet et sanus forte crederetur, semper adhuc singulis noctibus ab hora 11 — 1. doloribus et torminibus in abdomen excruciatu, et de agrypnia ac frigore extremitatum conquestus est. Obstructione alui pertinaci, ad remedia aperientia praesertim rhabarbarina confugiendum erat, unde partibus fluidis euacuatis, solidae adhuc

buc frigidiores, redditae sunt. Ortis sic in abdomine obstructionibus, quae ex deficiente corporis motu, et vita sedentaria abdomine compresso adhuc augebantur, successiue crescentia oedemata pedum et tumor abdominalis, hydropem ascitem initio mensis Ianuar. anni MDCCCLXXXIII. manifestarunt. Maxime debilitati corporis signa iam die 7. Febr. aderant, adeo ut die 10. Febr. morti vicinus videtur. Die 11. Febr. lectum concidit, unde se non resurrecturum dixerat, et die 12. iam moribundus habebatur. Sed omni animi praesentia declarata cum liberis suis et amicis loquutus est de morte et spe vitae aeternae et liberis paternam suam dedit benedictionem, quod vero singulis noctibus ante decubitum facere solebat. Ope et solertia venerabilium collegarum, omni amicitia et assiduitate eum visitantium, cuncta et efficacissima remedia propinata, hydropis curandae quidem spem dederunt; sed virium decrementum quasi festinans impedire non poterant multo minus eas sustentare. D. 19. matutino tempore quum lac ebutyratum bibere cuperet, statim propinatum est, quia naturalis instinctus videbatur, et, aude copia sumta, manifestum leuamen sentire cum voluptate narravit. Nox sequens quoque dulcem spem recuperandae valetudinis aluerat, sed tristi euentu ab die XX. post meridiem omnia in peius se verterant. Denegato medicamentorum effectu ob vires valde decrescentes, omnia instantis mortis adueniunt symptomata, singultus, excoriatio, sopor, vel inquietus somnus. In uniuerso morbi decursu, is semper in eo remansit animi vigor et ea alacritas, ut multa loqueretur; sed ob debilitatem et modum sensa animi proferendi minus plane intelligi potuerunt: quod iure, si fas est dicere, iacturam nominare licet. Animus aliquot dies ante mortem, politicis rebus occupatus, eum induxit, ut noctu nobis Dysticha haecce caneret; quae, prouti infirmitas animi dictabat, repetamus:

*Libertas spargetur mox foedissima Franci
Cum strepituque breui, foeda mephitis abit
Aurea nunc splendet Tua France fera libertas
Splendidius fulget sanguine tincta Regis.*

Noctu diei XXII. Februarii animi operationibus deficientibus per totam noctem in sopore agonistico cubans, denique matutino tempore hora VIII. cum dimidia in aeternas regiones transiens, dulci et placida morte, lugentibus ac lacrimantibus liberis atque amicis ereptus est.“

Exuiae corporis illatae sunt cryptae academicæ, comitantibus multis commilitonibus. At immortalitatem nominis non minus quam vitae consequutus reliquit nobis gratam sui infinitorumque meritorum memoriam, qui vita et exemplo sui docuisset, quam, etiam nobis omnibus, necessaria et in ipso vitae discrimine ad animi tranquillitatem mortisque dolores superandos utilis sit perpetua mortis commentatio.

Supereft, vt indicem dissertationum atque librorum, testium ingenii, follertiae atque eruditionis locupletissimorum, subiungamus.

L i b r i.

Versuch von den Ursachen der gegenwärtigen Brustkrankheiten. Wien 1762. in 8.

Versuch einiger practischen Anmerkungen über die Nerven. Erlangen 1774. in 8.

Versuch einiger practischen Anmerkungen über die Muskeln. Erlangen 1778. in 8.

Versuch einiger practischen Anmerkungen über die Knochen. Erlangen 1782. in 8.

Versuch einiger practischen Anmerkungen über die Eingeweide. Erlangen 1784. in 8.

Stephani Blancardi Lexicon medicum. Editio novissima. Lipsiae 1777. in 8. mai.

Versiones gallicæ.

Histoire de la mouche commune etc. à Nuremberg. 1766. in mai. Fol. *Nouvelles decouvertes dans le regne vegetal.* à Nuremberg. 1770. in mai. Fol.

Description des Zoolithes nouvellement decouvertes d'animaux quadrupedes inconnus et descavernes qui les renferment de même que de plusieurs autres grottes remarquables, qui se trouvent dans le Margraviat

- graviat de Bareith au de la des monts par I. F. Esper, traduite de l'allemand. à Nuremberg 1774. in mai. Fol.
- Recueil des monumens des catastrophes etc. IV. Tom. à Nuremberg 1776. in Fol.
- Recreations entomologiques par feu W. Roesel. à Nuremberg 1779. in 4.

Minora Opuscula.

- Diss. de congestionum Mechanismo.* Erlangae 1749. in 4.
- De Spiritu in morbis tentamen.* Viennae 1762. in 8.
- Programma de tunica cellulosa.* Erlang. 1764. in 4.
- Diss. de anaemia vera.* Resp. Kutter. Erlang. 1764. in 4.
- Methodus plantarum medicinae-clinicae adminiculum.* 1764. in 4.
- De cauto Specificorum usu.* Resp. Hallmayer. 1765.
- De excoriatione morborum comite.* Resp. Helin. 1765.
- De varietate musculorum.* Resp. Hammer. 1765.
- De odoribus.* Resp. Seelig. 1766.
- De anaemia spuria.* Resp. Bebr. 1766.
- De Dysenteriae affinitate.* Resp. Roth. 1766.
- De remediis suspectis et venenatis.* Resp. Steimnig. 1767.
- De rotatione feinoris.* Resp. Filzhofer. 1767.
- De Vasis nervorum.* Resp. Doerfler. 1768.
- De remediis arteriacis.* Resp. Weismann. 1769.
- De muscularum pathologia.* Resp. Weis. 1774.
- De materia primitiua.* Resp. Voigt. 1775.
- De lingua squalida.* Resp. Gewinner. 1779.
- De cauffis praedisponentibus.* Resp. Weismann. 1780.
- De Ginglymo.* Resp. Schmidt. 1785.
- De extremitatum analogia.* Resp. Falguerolles. 1785.
- De similitudine viscerum.* Resp. Schnell. 1785.

De

- De concrementis Polyposis.* Resp. Triebel. 1787.
De arthritidis et rheumatisini Diagnosis. Resp. Hirsekorn. 1787.
De morbis amatoriis. Resp. Vetter. 1789.
De deglutitionis mechanismo. Resp. Wenz. 1790.
De Phtisi nasalı. Resp. Schmezer. 1790.
De nisu. Resp. Borges. 1790.
De veneni effectu. Resp. Hentze. 1792.
+ *Commentatio I. De diffcili in obſeruationes anatomicas epicrifi.* Resp. Schmidt. 1771. in 4.
+ *Commentatio II.* Resp. Kraus. 1772.
+ *Commentat. III.* Resp. Meyer. 1773.
Commentat. IV. Resp. Neuhof. 1773.
Commentat. V. Resp. Doppelmayr. 1776.
Commentat. VI. Resp. Roth. 1779.
Commentat. VII. Resp. Schüz. 1784.
Commentat. VIII. Resp. Dimroth. 1792. Octo hae commentat. in II. tomis iunctim eduntur a filiis eius; et prior tomus lucem iam adspexit.
Oratio academica in Natalem Serenissimae. 1769.
Oratio academica in natalem Serenissimi de pathematum animi in corpus imperio. 1773.

P. P. Erlangae d. xxiii. Mart. cccclxxxiii

(L. S)